



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 94. Congregatio in caussa Quesnelliana Romæ instituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII tis &c. versionem LXX. Interpretum  
A. C. 1712. ex Codice Alexandrino, Irenæum,  
 Spicilegium Patrum & Hæreticorum  
 Sæcul. I. II. & III. Justinii M. Apolo-  
 giam cum notis, defensionem testimo-  
 nii Josephi de Christo, Epistolam de  
 Codice Alexandrino LXX. Interpre-  
 tum, præter opera Georgii Bulli.

## §. XCIV.

*Congregatio in causa Quesnelliana  
 Romæ instituta.*

*Lafiteau  
 Hist. de  
 Const. t. I.  
 part. I.  
 pag. 130.*

Ineunte anno hujus Sæculi duodeci-  
 mo summus Pontifex non modo a  
 Rege, sed etiam a plurimis Franciæ  
 Episcopis sollicitatus, singularem Con-  
 gregationem, in qua Quesnelli reflex-  
 iones examinarentur, instituere de-  
 crevit. Nominabat igitur Spadam,  
 Ferrarium, Fabronium, Calinum &  
 Tolomeium Jesuitam Cardinales, qui-  
 bus sex laboris socios ex celeberrimis  
 Theologis & Jureconsultis adjunxit.  
 His gallicus Quesnellii liber unacum  
 ejusdem versione latina tradebatur, ut  
 præprimis eundem cum versione con-  
 ferrent, & de versionis fidelitate judi-  
 cium pronuntiarent; ne vero Cardina-  
 lem Noailium, qui hunc librum ap-  
 probabat, offendere timerent, ejusdem  
 literæ illis exhibebantur, in quibus se  
 ceter

ceteris priorem Pontificiæ decisioni in- Sæc. XVIII.  
 hæsurum profitebatur. Opportune e- A. C. 1712.  
 tiam Romam advenerant observatio-  
 nes, quas Cameracensis Archiepisco-  
 pus in Quesnelli librum fecerat; his  
 enim mature pensatis Pontifex institu-  
 tæ Congregationis necessitatem lucu-  
 lentius perspexit. Dies erat trigesi-  
 ma Julii, qua Pontifici tradebantur  
 Lucionensis & Rupellensis Episcopo-  
 rum literæ, in quibus significabant,  
 se per integrum ferme annum appella-  
 tionem distulisse, spe freti, Cardina-  
 lem injuriam ipsis illatam tandem re-  
 paraturum &c. Paulopost P. Rolletus  
 FF. Minimorum Generalis literas Car-  
 dinalis Noailii, quibus contra utrum-  
 que Episcopum vehementer questus,  
 suam agendi rationem vindicare nite-  
 batur, summo Pontifici exhibuit, ro-  
 gaus, ut si Papa ad Episcoporum literas,  
 respondere vellet, omnia verba ponde-  
 raret, ne hi Episcopi Pontificium can-  
 dorem in rem suam non sine causæ  
 Sedisque Apostolicæ præjudicio verte-  
 rent. Interim Franciæ Rex hoc ne-  
 gotium maturari, iteratis literis urge-  
 bat, nec segniore erant Theologi in  
 Quesneliani libri discussione, ex quo  
 jamjam quinquaginta duas propositio-  
 nes censuris notandas decerpserant,  
 quæ tam postea ad triginta quinque  
*Hist. Eccles. Tom. LXVIII.* C c re-

Sæc. XVIII. A. C. 1712. reductæ fuerunt; Tellierus vero datis Romam literis centum & tres propositiones ex præfato libro excerptas denunciabat, quarum tamen plures explicatione sanari posse, censebant Examinatores: Verum Pontifex majore adhuc sedulitate eas examinari, hæcque in rem qualibet hebdomada binas consultationes haberi præcepit, eodemque tempore Gaillandus Sorbonæ Doctor librum sub titulo: *Dilucidationes in quædam opuscula Theologica* edidit, ac vehementer in Quesnelli librum, Bossueti apologiam atque in Parisiensem Archiepiscopum insurrexit, qui tamen unacum Quinoto, qui hunc librum (\*) approbavit, Cancellarii indignationem incurrit, & P. Lalleman-tius Quésnellianis notis, si has Romæ proscribi contingeret alias a se compositas opposuit, ut hæc in earum locum succedere possent. Ineunte etiam hoc anno Quesnellus contra utriusque Episcopi Instructionem edidit apologeticam explicationem mentis suæ in reflexionibus manifestatæ.

§. XCV.

(\*) Alius Sorbonæ Doctor hunc librum confutavit, edito opusculo, cui titulus: *Variæ Reflexionum in Novum Testamentum.*